

CLAVDIVS RVTILIVS POETA PRISCVS DE LAVDIBVS VRBIS, ETRVRIAE, ET ITALIAE.



LEONI DECIMO PONTIFICI MAXIMO MEDICAE FLORENTINO IOANNES BAPTISTA PIVS CLIENS.

m Axime terrarum custos, et Ianitor axis.
Mystica cui gemino fulgurat ense manus.
Cuius honoratã triplici diademate frõtem
Rex colit, et supplex Induperator adit.
Annue, Daqꝫ animum paruo Leo Maxime Vati,
Auspiciis surgat naufraga Cymba tuis.
Vnus olympiaca musas dignaris ab arce,
Vnus et in toto dignus es orbe legi.
Cætera turba uelut uolitantes cõminus umbræ
Serpit, et in sterili semina iactat humo:
Quid Campana Ceres, Quid Massica rura tulerunt
Curat, et auriferi flaua metalla Tagi.
Exulat e toto uirtus incognita mundo,
Quærit inaccessis uiuere posse iugis.
Inter Hyperboreas uolucres: Massylaqꝫ Tesqua
Tutior, et rigidas quas alis Hæme uiues.
Erigis attonitos Princeps termaxime Vates,
E furnisqꝫ trahis agmina nuda suis.
Non aliter qnam cum diuinitus orbe redempto
Nigra triumphator Tartara Christus obit.

Exiliunt patres, dominumq; sequuntur ouantes,
Seruitiiq; ferunt signa uetusta sui.
Sic tua summe Pater Vexilla fauentibus astris
Exultans uatum iussa caterua sequi est.
Munera pro uerbis, pro Lauro porrigis aurum,
Sordida punicea corpora ueste tegis,
Ille repens Tusci Vertunnus ut incola Vici.
Vel quem mira sali fecerat herba deum
Exilit illustri redimitus murice lætus,
Plaudit, et Aonia sidera uoce ferit,
Ista Deum, superosq; decent, superumq; ministros,
Et qui diuorum numine nomen habent.
Non Venus, aut animi scopulus Vesana libido,
Alea uel fallax, Ambitus, æris amor.
Illusæq; auro uestes, quas fœmina Coa
Texuit: et Phrygia barbara pinxit acu.
Sexcentiq; Phryges Cenei, qui summa lacessunt
Numina, et irati tela trisulca Iouis.
Mendosæq; sitis rabies, et mille figuris
Mendicata fames, dulcis et arte sopor.
Sollipedesq; feri, uoluunt qui naribus ignem,
Et celeri uerrunt æquora dura pede.
Non fucata genas, Tenui ue perusta fauilla
Pythias emuncto facta beata sene.
Non Manni, Mulæue decoro murice tectæ,
Composito calcant quæ sola culta gradu.

Iſta patres faciant Mahumetica turba profani.
Chriſte ſalus rerum nos tua turba ſumus.
Chriſte ſalus rerum ſupera miſeratus ab arce
Iuſſiſti humanis cladibus ire iubar
Qualis ab Oebalio præfulget lumine lampas
Cum decimis ſupplex cymba feritur aquis.
Ille ſuper Gangem Leo trans Leo pontica longe
Littora, et Heſperii fixa trophea maris
Euectus muſarum alis in ſæcula uiuet
Neſtoris, et latiæ tempora Deiphobes.
Nomen olympiades ſuper ardua ſidera tollent,
Cultoriq; dabunt aurea ſecla ſuo.
Felix pace Ceres, Bacchuſq; feracior uuis
Imponent ſancto ſpicea ſerta patri.
Igneus exoſus fœdiſſima regna Getarum
Fulmina Tarpeia mittet ab arce deus.
Tempus erit quo tu ducibus comitatus, et altis
Regibus, Italiæ priſca trophea noues.
Nec mirum ſi tantus eris, proauita decora
In latios fines ſi tua dextra feret.
Clauiger æthereo Petrus tibi ſpirat olympo,
Paulus et aeriſono feruidus ore tonat:
Debitus hic cœli fauor eſt tibi, moribus iſtis
Aeternas Tuſcos laude perenne lares.
Ambitio, quæ ueſtibulis innixa potentum eſt,
Non tibi legitimo Vana curule dedit.

Sed pietas, sed sancta fides, studiumq; Mineruæ,
Vnicus et ueræ relligionis amor.
Es pius in primis, horres crudelia cuncta,
Suppliciis iustis illachrymare soles.
Castus es in primis, Veneremq; perosus, et ignes
Et puer et iuuenis cœlitis instar agis.
Fabula non hæc est, non sunt mendacia uatum,
Veridico nec tam Pythius ore canit.
Musa tibi cordi est, cum musica sidera noris
Diuinos docili concipis aure modos.
Sobrius atq; frequens adstas solennibus hymnis;
Mitratos stimulans ad pia sacra patres.
Vertice purpureo sanctus fluit arce senatus,
Et figit pedibus oscula prona tuis.
Tu blandum atridens regali uertice fulges,
Et radiis reddis cuncta serena tuis.
Maior honore quidem, uita meliore coruscas,
Sed tamen Heroo pulchrior ore micas.
Corpore procero cunctis augustior anteis
Qualis ad Aethiopas Iuppiter ire solet.
Hinc tua nobilitas, hinc sanguis auitus, et altum
Moribus, et pulchro corpore, stemma patet.
Illustres effingis auos, Cosmumq; Verendum,
Ingenio cuius Lydia sceptra tenes.
Primus hic Aonidum custos, et Apollinis hospes
Imposuit capiti laurea serta suo.

Quæsitasq; diu, musas latioq; fugatas
Repperit, et proprios iussit habere lares.
Sarmata, Pannoniusq; ferox, Geta, Moschus, Alanus
Fugarunt patrio numina docta sinu.
Quæq; per Ausoniam Rhodopes excita sub oris
Polluerant nostrum monstra cruenta solum.
Pandit opes patrias musarum Cosmus alumnis,
Fouit et amplexu languida membra pio.
Omen erat mentis cognomine Medica Pallas,
Olim Vrbis quinta quæ Regione fuit.
Cæpit adorari laurus, desuetaq; tangi
Frons penæa, poli uertice summa petiit.
Incipiunt tacitis uates prodire latebris,
Quotq; uidet populus: tot putat esse deos.
Induit auctoris mentem plebs credula Cosmi
Vmbra uelut uirgæ moribus errat hebes.
Est memor Aonidum cœtus, sanctiq; poetæ,
Solenni recolunt qui stata sacra dape.
Maximus ille fuit, gentili nomine dignus,
Sed maiora pius surgit in astra nepos,
Surgit in astra nepos, et uertice sidera tangit
Laurigero, Phœbi nomen et omen habens.
Qualis stelligero lampas præclarior axe
Solis, et ætherias cynthia uincit opes.
Sustulit e latio peregrinæ murmura linguæ,
Quæ solita est getico frendere uerba sono.

Cōſtruxit lauri rediuiuus in arbore phœnix
Balſama, et externo cinnama lecta ſolo,
Nec contentus eo ueteris monimenta coegit
Ingenii, tabulas, Marmor, et æris opes.
Huic quoque Pierides permeſſi ad fluminis undas
Dulcia dictarunt carmina, dulce melos.
Pallade, Marte potens ſceptri pomœria auiti
Protulit, et ligurum uictor in arua ruit.
Vltoreſq; deos ſecum, uiolataq; ducens
Numina, ciuiles ſuſtulit enſe metus.
Parthenopes regem inuictum iurare coegit
Fœdera, et Etruſco caſtra mouere lare.
Thuſca nimis felix, quæ tantum protulit ora
Illuſtrem, ac primum pace, rogaq; uirum.
Carpere cui poſtq̄ fatales contigit auras
Lætius Auſonio floruit orbe nihil.
Qui poſtq̄ petit Elyſios, ſedeſq; piorum
Triſtius Auſonio Sol uidet orbe nihil.
Iura dare aſſueto, facileſq; remittere habennas
Auſoniæ, feſta pace nitebat ager.
Candida pax aluit uirtutis ſemina diuæ,
Et uicium præceps in Phlegethonta ruit.
Gallica mox rabies furit in penetralia noſtra,
Britto, Getes, Scotus, Phryx, Alamanus, Iber.
Non ſecus ac fido ſtabulis abeunte Moloſſo
Incuſtoditum carpit ouile lupus.

Tu tamen O cœli nobis demisse fauore
Sancte Leo, pacem, fœdera certa dato.
Coge pecus. fremit ad caulas inimicus, et audet
Armare in pauidas spicula dentis oues.
Sed morum censura iuuet, Censura rebelles
Pumicet, et uitis luxuriosa secet.
Vinea capreolis Petri uestitur, et umbra
Deteriore comans, bacchica dona negat.
Virtutem, Doctosq; foue, moresq; benignos,
Et quicunq; poli scandere summa cupit.
In primisq; pios uates: uatumq; piorum
Me, tibi quem rara scis superare fide,
Medica quem primis domus Inclyta legit ab annis,
Cum terit ambiguum læta iuuentus iter.
Huc faustum Pater alme iubar, præsentia flecte
Sidera, et æterno tolle fauore Pium.
Eripe me populo, patriaq; sub arbore siste,
Vt patrias laudes, et tua gesta canam.
Interea pro me querulo canat entheus ore
Claudius, Aonidum garrula plectra ciens.
Qui Tuscos modulatur agros, et Lydia regna,
Romuleosq; lares, Ausoniumq; decus.
Roma tibi patria est cœlestis, Etruria mater,
Ergo pie Laudes huius et huius amas.

FINIS.

AD VENERIVM RVFIVM RVTILII CLAVDII NVMATIANI GALLI VIRI CONSVLARIS, PRAEFECTORII VRBIS, TRIBVNI MILITVM: PRAEFECTI PRAETORIO. LIBER PRIMVS

CVI TITVLVS ITINERARIVM.

Elocem potius reditum mirabere lector
u Tam cito romuleis posse carere bonis.
Quid longũ toto Romã uenerantibus æuo?
Nil unq̃ longum est quod sine fine placet.
O quantum et quoties possem numerare beatos
Nasci felici qui meruere solo.
Qui Romanorum procerum generosa propago
Ingenitum cumulant urbis honore decus.
Semina uirtutum demissa et tradita cœlo
Non potuere aliis dignius esse locis.
Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti latias obtinuere domos.
Relligiosa patet peregrinæ curia laudi,
Nec putat externos quos decet esse suos,
Ordinis imperio, collegarumq; fruuntur
Et partem genii, quem uenerantur, habent,

Quale per ætherios mundani uerticis axes
Connubium ſummi credimus eſſe dei
At mea dilectis fortuna reuellitur oris,
Indigenamq; ſuum gallica rura uocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis.
Sed quam grata minus, tam miſeranda magis.
Securos leuius crimen contemnere ciues,
Priuatam repetunt publica damna fidem.
Præſentes lachrymas tectis debemus auitis,
Prodeſt admonitus ſæpe dolore labor.
N[illegible] fas ulterius longas neſcire ruinas,
Quas mora ſuſpenſæ multiplicauit opis.
Iam tempus laceris poſt longa incendia fundis
Vel paſtorales ædificare caſas.
Ipſi quinetiam fontes ſi mittere uocem,
Ipſaq; ſi poſſent arbuta noſtra loqui,
Ceſſantem iuſtis poterant urgere querelis,
Et deſideriis reddere uela meis.
Iamiam laxatis caræ complexibus urbis
Vincimur, et ſerum uix toleramus iter.
Electum pelagus quoniam terrena uiarum
Plana madent fluuiis, cautibus alta rigent.
Poſtquam Tuſcus ager, poſtquãq; Aurellius agger
Perpeſſus geticas enſe uel igne manus,
Non ſiluas domibus, non flumina ponte cohercet.
Incerto ſatius credere uela mari.

Crebra reliquendis infigimus oscula portis,
- Inuiti superant limina sacra pedes.
Oramus ueniam lachrymis, et laude litamus
Inquantum fletus currere uerba sinit.
Exaudi regina tui pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.
Exaudi genetrix hominum, genetrixq; deorum.
Non procul a cœlo per tua templa sumus.
Te canimus, semperq; sinent dum fata, canemus,
Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata obliuia solem
Quam tuus ex nostro corde recedat honos,
Nam solis radiis æqualia munera tendis
Qua circunfusus fluctuat Oceanus.
Voluitur ipse tibi, qui continet omnia, Phœbus,
Eq; tuis ortus, in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardauit harenis.
Non armata suo reppulit Vrsa gelu.
Quantum uitalis natura tetendit in axes,
Tantum uirtuti peruia terra tuæ.
Fecisti patriam diuersis gentibus unam
Profuit iniustis te dominante capi. 64
Dumq; offers uictis proprii consortia iuris
Vrbem fecisti quod prius orbis erat.
Auctorem generis Venerem, Martemq; fatemur
Aeneadum matrem, romulidumq; patrem.

Mitigat armatas uictrix clementia uires.
Conuenit in mores nomen utrunq; tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendiq; uoluptas,
Quos timuit superat, quos superauit amat.
Inuentrix oleæ colitur, uiniq; repertor,
Et qui primus humo pressit aratra puer.
Aras pæoniam meruit medicina per artem,
Fretus et Alcides nobilitate deus.
Tu quoq; legiferis mundum complexa triumphis
Fœdere communi uiuere cuncta facis.
Te dea te celebrat Romanus ubiq; recessus:
Pacificoq; gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quæ seruant sidera motus
Nullum uiderunt pulchrius imperium.
Quid simile Assyriis connectere contigit arma,
Medi finitimos cum domuere suos.
Magni parthorum reges, macedumq; Tyranni
Mutua per uarias iura dedere uices.
Nec tibi nascenti plures animæq; manusq;
Sed plus consilii, iudiciiq; fuit.
Iustis bellorum causis, nec pace superba
Nobilis ad summas gloria uenit opes.
Quod regnas minus est quam quod regnare mereris,
Excedis factis grandia facta tuis.
Percensere labor densis decora alta Trophæis
Vt si quis stellas pernumerare uelit.

Confunduntq; uagos delubra micantia uisus:
 Ipsos crediderim sic habitare deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice riuos
 Qua uix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potius dicas creuisse in sidera montes.
 Tale gigantæum græcia laudat opus.
Intercæpta tuis conduntur flumina muris,
 Consumunt totos celsa lauacra lacus.
Nec minus et propriis celebrantur roscida uenis,
 Totaq; natiuo mœnia fonte sonant.
Frigidus æstiuas hinc temperat halitus auras,
 Innocuamq; leuat purior unda sitim.
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
 Rupit Tarpeias hoste premente uias.
Si foret æternus: casum fortasse putarem:
 Auxilio fluxit qui rediturus erat.
Quid loquar inclusas inter laquearia siluas?
 Vernula quæ uario carmine ludat auis.
Vere tuo nunq̃ mulceri desinit annus,
 Delitiasq; tuas uicta tuetur hyems.
Erige crinales lauros, seniumq; sacrati
 Verticis in uirides Roma recinge comas.
Aurea Turrigero radient diadema a cono,
 Perpetuosq; ignes aureus umbro uomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum,
 Contemptus solidet uulnera clausa dolor.

Aduersus solem ne uis sperare secunda
Exemplo cœli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renouant occasibus ortus,
Lunam finiri cernis ut incipiat.
Victoris Breni non distulit allia pænum,
Samnis seruitio fœdera sæua luit.
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti.
Fleuit successus Annibal ipse suos.
Quæ mergi nequeunt nixu maiore resurgunt,
Exiliuntque imis altius alta uadis.
Vtque nouas uires fax inclinata resumit:
Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige uicturas romana in sæcula leges,
Solaque fatales non uereare colos.
Quamuis sedecies denis et mille peractis
Annus præterea iam tibi nonus eat.
Quæ restant nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum polus astra feret.
Illud te reparat quod cætera regna resoluit,
Ordo renascendi est crescere posse malis.
Ergo age sacrilegæ tandem cadat hostia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent uectigalia terræ,
Impleat Augustos barbara præda sinus.
Aeternum tibi Renus aret, Tibi Nilus inundet,
Altricemque suam fertilis orbis alat.

Quin et fœcundas tibi conferat Africa messes
Sole suo diues, sed magis Imbre tuo.
Interea latiis consurgant horrea sulcis,
Pinguiaq; hesperio nectare præla fluant.
Ipse triumphali redimitus arundine Tybris
Romuleis famulas ossibus aptet aquas,
Atq; opulenta tibi placidis commercia ripis
Deuehat hinc ruris, subuehat inde maris.
Pande precor gemino placatum Castore pontum,
Temperet æquoream Dux cytheræa uiam,
Si non displicui regerem cum iura Quirini,
Si colui sanctos, Consuluiq; patres.
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit præfecti gloria, sed populi.
Siue datur patriis uitam componere terris,
Siue oculis unq̃ restituere meis,
Fortunatus agam, uotoq; beatior omni
Semper digneris si meminisse mei.
His dictis iter arripimus, comitantur amici,
Non possum sicca dicere luce uale.
Iamq; aliis romam redeuntibus hæret eunti
Rufius Albini gloria uiua patris.
Qui Volusi antiquo deriuat stemmate nomen,
Et reges Rutulos teste Marone refert.
Huius facundæ commissa palatia linguæ.
Primæuus meruit principis ore loqui.

Rexerat ante puer populos pro conſule pœnos.
Aequalis tyriis terror, amorq; fuit.
Sædula promiſit ſummos imitatio faſces,
Si fas eſt meritis fidere, Conſul erit.
Inuitum triſtis tandem remeare coegi,
Corpore diuiſo mens tamen una fuit
Tum demum ad naues gradior, qua fronte bicorni
Diuiduus Tyberis dexteriora ſecat.
Leuus inacceſſis fluuius uitatur harenis.
Hoſpitis æneæ gloria ſola manet.
Et iam nocturnis ſpatium laxauerat horis
Phœbus chelarum pallidiore polo.
Cunctamur tentare ſolum, portuq; ſedemus,
Nec piget oppoſitis otia ferre moris,
Occidua infido dum ſæuit gurgite Plias,
Dumq; procelloſi temporis ira cadit,
Reſpectare iuuat uicinam ſæpius urbem,
Et montes uiſu deficiente ſequi,
Quaq; duces oculi grata regione fruuntur,
Dum ſe quod cupiunt, cernere poſſe putant,
Nec locus ille mihi cognoſcitur indice fumo,
Qui dominas arces et caput orbis habet.
Quanquam ſigna leuis fumi commendat Homerus
Dilecto quoties ſurgit in aſtra ſolo.
Sed cœli plaga candidior, tractuſq; ſerenus
Signat ſeptenis culmina clara iugis,

Illic perpetui soles, atq; ipse uidetur
Quem sibi Roma facit, purior esse dies.
Sæpius attonitæ resonant Circensibus aures,
Nuntiat accensus plena theatra fauor.
Pulsato notæ redduntur ad æthera uoces
Vel quia perueniunt, uel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi terquinq; diebus
Dum melior lunæ fideret aura nouæ.
Tum discessurus studiis, urbiq; remitto
Palladiam generis spemq;, decusq; mei.
Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori,
Ille meæ secum dulcissima uincula cunnæ
Filius affectu, stirpe propinquus habet.
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemq; reducit,
Et seruos famulis non sinit esse suis.
Soluimus auroræ dubio, quo tempore primum
Agnosci patitur redditus arua color.
Progredimur paruis per littora proxima cymbis
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aestiuos penetrent oneraria carbasa fluctus
Tutior autumnus nobilitate fugæ.
Alsia prælegitur tellus: Pyrgiq; recedunt
Nunc uillæ grandes, oppida parua prius.

Iam Ceretanos demonſtrat nauita fines,
    Aeuo depoſuit nomen Agylla uetus.
Stringimus   et fluctu et tempore caſtrum.
    Index ſemiruti porta uetuſta loci.
Præſidet exigui formatus imagine ſaxi
    Qui paſtorali nomina fronte gerit.
Multa licet priſcum nomen deleuerit ætas
    Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat.
Seu Pan tyrrhenis mutauit mænala ſiluis,
    Siue ſinus patrios incola faunus init.
D. renouat largo mortalia ſemina fœtu
    Fingitur in Venerem pronior eſſe deus.
Ad centumcellas forti deflexímus hauſtro.
    Tranquilla puppes in ſtatione ſedent.
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
    Anguſtoſq; aditus inſula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoq; meatu
    Faucibus arctatis pandit utrunq; latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxo naualia portu,
    Ne uaga uel tutas uentilet aura rates.
Interior medias ſinus inuitatus in ædes
    Inſtabilem fixis aera neſcit aquis.
Qualis in euboicis captiua natatibus unda
    Suſtinet alterno brachia lenta ſono.
Noſſe iuuat Tauri dictas de nomine thermas,
    Nec mora difficilis milibus ire tribus.

Non illic gustu latices uicianturʼ amaro,
Lymphaqꝫ fumifico sulphure tincta calet.
Purus odor, mollisqꝫ sapor dubitare labantem
Cogit qua melius parte petantur aquæ.
Credere si dignum famæ, flagrantia Taurus
Inuestigato fonte lauacra dedit.
Vt solet excussis pugnam præludere glebis
Stipite cum rigido cornua prona terit.
Siue deus faciem mentitus et ora iuuenci
Noluit ardentis dona latere soli.
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta uirgineum sollicitauit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios,
Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas simili credamus origine nymphas
Musarum latices ungula fodit equi,
Hæc quoqꝫ pieriis spiracula comparat antris
Carmine Messalæ nobilitatus ager.
Intrantemqꝫ capit, discedentemqꝫ moratur
Postibus affixum dulce poema sacris.
Hic est qui primo seriem de consule ducit
Vsqꝫ ad publicolas si redeamus auos.
Hic et præfecti nutu prætoria rexit
Sed menti et linguæ gloria maior inest.
Hic docuit qualem poscat facundia sedem
Vt bonus esse uelit, quisqꝫ disertus erit.

Roſcida puniceo fulſere crepuſcula cælo:
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.
Pauliſper littus fugimus Munione uadoſum.
Suſpecto trepidant hoſtia parua ſolo.
Inde Grauiſcarum faſtigia rara uidemus:
Quas premit æſtiuæ ſæpe paludis odor.
Sed nemoroſa uiret denſis uicinia lucis,
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas,
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.
Ridiculam cladis pudet inter ſeria cauſam
Promere, ſed riſum diſſimulare piget.
Dicuntur ciues quondam migrare coacti
Muribus infeſtos deſeruiſſe lares.
Credere maluerim pygmeæ damna cohortis
Et coniuratas in ſua bella grues.
Haud procul hinc petitur ſignatus ab Hercule portus
Vergentem ſequitur mollior aura diem.
Inter caſtrorum ueſtigia ſermo retexit
Sardoam Lepido præcipitante fugam.
Littore nanque Coſæ cognatos depulit hoſtes
Virtutem Catuli Roma ſecuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior ciuilibus armis
Qui geſſit ſociis impia bella tribus.
Qui libertatem Mutinenſi Marte receptam
Obruit auxiliis urbe fauente nouis;

Inſidias paci moliri tertius auſus
　Triſtibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæſareo dum uult irrepere regno
　Inceſti pœnam ſoluit adulterii.
Nunc quoq; ſed melius de noſtris fama queretur,
　Iudex poſteritas ſemina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores,
　Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id eſt mirus latiis annalibus ordo
　Quod Lepidum toties reccidit enſe malum.
Necdum deceſſis pelago permittitur umbris
　Natus uicino uortice uentus adeſt.
Tenditur in medias mons Argentarius undas,
　Ancipitiq; iugo cærula curua premit.
Tranſuerſos colles biſternis milibus artat
　Circuitu ponti terduodena patet.
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Iſthmos
　Ionias bimari littore findit aquas.
Vix circumuehimur ſparſæ diſpendia rupis,
　Nec ſinuoſa graui cura labore caret.
Mutantur toties uario ſpiramina flexu:
　Quæ non profuerant uela, repente nocent.
Eminus Igilii ſiluoſa cacumina miror
　Quam fraudare nefas laudis honore ſuæ.
Hæc proprios nuper tutata eſt inſula ſaltus
　Siue loci ingenio, ſeu domini genio.

Gurgite cum modico uictricibus obſtitit armis
Tanquam longinquo diſſociata mari.
Hæc multos lacera ſuſcepit ab urbe fugatos.
Hic feſſis poſito certa timore ſalus.
Plurima terreno populauerat æquora bello
Contra naturam claſſe timendus eques.
Vnum mira fides uario diſcrimine portum,
Tam prope Romanis, tam procul eſſe Getis.
Tangimus Vmbronem: non eſt ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis ſemper patet alueus undis,
In pontum quoties ſæua procella ruit.
Hic ego tranquillæ uolui ſuccedere ripæ,
Sed nautas auidos longius ire, ſequor.
Sic feſtinantem uentuſq́; dieſq́; reliquit,
Nec proferre pedem, nec reuocare licet.
Littorea noctis requiem metamur arena,
Dat ueſpertinos myrtea ſilua focos.
Paruula ſubiectis facimus tentoria remis,
Tranſuerſus ſubito culmine contus erat.
Lux aderat, tonſis progreſſi ſtare uidemur
Sed curſum proræ terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilua metallis,
Qua nihil uberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior ſtrictura camino,
Nec quæ ſardonio ceſpite maſſa fluit.

Plus confert populis ferri fœcunda creatrix
Quam Tarteſſiaci glarea fulua Tagi.
Materies uiciis aurum lætale parandis.
Auri cæcus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
Virgineoſq; ſinus aureus hymber emit.
Auro uicta fides munitas decipit urbes,
Auri flagitiis ambitus ipſe furit.
At contra ferro ſquallentia rura coluntur,
Ferro uiuendi prima reperta uia eſt.
Secula ſemideum ferrati neſcia Martis
Ferro crudeles ſuſtinuere feras.
Humanis manibus non ſufficit uſus inermis
Si non ſint aliæ ferrea tela manus.
His mecum pigri ſanabar tædia uenti
Dum reſonat uariis uile celeuma modis,
Laſſatum cohibet uicina Faleria curſum
Quanq̃ uix medium Phœbus haberet iter.
Et tum forte ilares per compita ruſtica fagi
Mulcebant ſacris pectora feſſa iocis.
Illo quippe die tandem renouatus Oſyris
Excitat in fruges germina læta nouas.
Egreſſi uillam petimuſq;, lucoſq; uagamur,
Stagna placent ſepto delitioſa uado.
Ludere laſciuos inter uiuaria piſces
Gurgitis incluſi laxior unda ſinit,

Sed male pensauit requiem stationis amœnæ
    Hospite conductor durior Antiphate.
Nanq; loci querulus curam Iudæus agebat,
    Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
    Damnaq; libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obscenæ conuicia debita genti,
    Quæ genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiæ, cui frigida sabbata cordi,
    Sed cor frigidius relligione sua est.
Septima quæq; dies turpi damnata ueterno
    Tanquam lassati mollis imago dei.
Cætera mendacis deliramenta catastæ
    Nec pueros omnes credere posse reor.
Atq; utinam nunq̃ Iudæa subacta fuisset
    Pompeii bellis, imperioq; Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
    Victoresq; suos Natio uicta premit.
Aduersus surgit boreas, sed nos quoq; remis
    Surgere certamus cum tegit astra dies.
Proxima securum reserat Populonia littus
    Qua naturalem ducit in arua sinum.
Non illic positas extollit in æthera moles
    Lumine nocturno conspicienda Pharos.
Sed speculum ualidæ rupis sortita uetustas
    Qua fluctus domitos arduus urget apex.

Caſtellum geminos hominum fraudauit in uſus
    Præſidium terris, indiciūq; fretis.
Agnoſci nequeunt æui monimenta prioris.
    Grandia conſumpſit mœnia tempus edax,
Sola manent interceptis ueſtigia muris
    Ruderibus latis tecta ſepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora ſolui,
    Cernimus exemplis oppida poſſe mori.
Lætior hic noſtras crebreſcit fama per aures,
    Conſilium Romam pene redire fuit.
Hic præfecturam ſacræ cognoſcimus urbis
    Delatam meritis dulcis amice tuis.
Optarem uerum complecti carmine nomen
    Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen uerſu Veneris cariſſime Rufi
    Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridemq; meos dignata penates,
    Poſte coronato uota ſecunda colat.
Exornent uirides communia gaudia rami,
    Prouecta eſt animæ portio magna meæ.
Sic mihi ſic potius placeat geminata poteſtas,
    Per quem mallueram turſus honore fruar.
Currere curamus uelis aquilone reuerſo
    Cum primum roſeo fulſit Eous equo.
Incipit obſcuros oſtendere Corſica montes:
    Nubiferumq; caput concolor umbra leuat.

Sic dubitanda solet gracili uanescere cornu,
  Defessisq; oculis Luna reperta latet,
Hac ponti breuitas auxit mendacia famæ,
  Armentale ferunt quippe natasse pecus,
Tempore Cyrnæas quo primum uenit in oras
  Forte secuta uagum fœmina Corsa bouem.
Processu pelagi iam se Capraria tollit.
  Squallet lucifugis insula plena uiris.
Ipsi se monacos graio cognomine dicunt,
  Quod soli nullo uiuere teste uolunt:
M··nera fortunæ metuunt, dum damna uerentur:
  Quisquam sponte miser ne miser esse queat.
Quæ nam peruersi rabies tam stulta cerebri?
  Dum mala formides, nec bona posse pati.
Siue suas repetunt ex fato ergastula pœnas,
  Tristia seu nigro uiscera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
  Bellerophonteis sollicitudinibus:
Nam iuueni offenso sæui post tela doloris
  Dicitur humanum displicuisse genus.
In Volaterranum uero uada nomine tractum
  Ingressus dubii tramitis alta lego.
Despectat proræ custos, clauumq; sequentem
  Dirigit, et puppim uoce monente regit.
Incertus gemina discriminat arbore fauces,
  Defixasq; offert limes uterq; sudes.

Illis proceras mos eſt adnectere lauros
Conſpicuas ramis et fruticante coma,
Vt præbente algam denſi ſymplegade limi
Seruet inoffenſas ſemita clara notas.
Illic me rapidus conſiſtere corus adegit
Qualis ſiluarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſæuos tolerauimus Imbres
Albini patuit proxima uilla mei.
Nanq; meus quem Roma meo ſubiunxit honori,
Per quem iura meæ continuata togæ
Non expectatos penſauit laudibus annos,
Vitæ flore puer ſed grauitate ſenex.
Mutua germanos iunxit reuerentia mores,
Et fauor alternis creuit amicitiis.
Prætulit ille meas cum uincere poſſet habenas
Prædeceſſoris maior amore fuit.
Subiectas uillæ uacat aſpectare ſalinas.
Nanq; hoc cenſetur nomine ſalſa palus.
Qua mare terrenis decliue canalibus intrat,
Multifidoſq; lacus paruula foſſa rigat.
Aſt ubi flagrantes admouit Sirius ignes,
Cum pallent herbæ, cum ſitit omnis ager
Cum cataractarum clauſtris excluditur æquor
Vt fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem natiua coagula Phœbum,
Et grauis æſtiuo cruſta calore coit.

Haud aliter q̃ cum glacie riget horridus Ister,
Grandiaq; adstricto flumine plaustra uehit.
Rimetur solitas natura expendere causas,
Inq; pari dispar fomite quærat opus.
Iuncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt,
Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.
O quamsæpe malis generatur origo bonorum.
Tempestas dulcem fecit amara moram.
Victorinus enim nostræ pars maxima mentis
Congressu expleuit mutua uota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris
Excolere externos capta Tolosa lares,
Nec tantum duris nituit sapientia rebus
Pectora non alio prosperiora tulit.
Consulis Oceanus uirtutum, conscia Thule,
Et quicunq; ferox arua Britanus arat.
Qua præfectorum uicibus frenata potestas
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tanq̃ medio rector in orbe fuit.
Plus palmæ est illos inter uoluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor:
Illustris nuper sacræ comes additus aulæ
Contempsit summos ruris amore gradus.
Hunc ego complexus uentorum aduersa fefelli
Dum uideor patriæ iam mihi parte frui.

Lutea protulerat ſudos aurora iugales
Antennas tendi littoris unda iubet.
Inconcuſſa uehit tranquillus apluſtria flatus,
Mollia ſecuro uela rudente tremunt.
Aſſurgit ponti medio circunflua Gorgon
Inter Piſanum, Cyrnaicumq́ latus.
Aduerſus ſcopulos damni monimenta recentis
Perditus hic uiuo funere ciuis erat.
Noſter enim nuper iuuenis maioribus amplis
Nec cenſu inferior, coniugioue minor
Impulſus furiis homines, diuoſq́ reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuuie cœleſtia paſci,
Seq́ premit læſis ſæuior ipſe deis.
Num rogo deterior Circæis ſecta uenenis?
Tunc mutabantur corpora: nunc animi.
Inde Triturritam petimus, ſic uilla uocatur,
Quæ latet expulſis inſula pene fretis.
Nanq́ manu iunctis procedit in æquora ſaxis,
Quiq́ domum poſuit, condidit ante ſolum.
Contiguum ſtupui portum, quem fama frequentat
Piſarum emporio, diuitiiſq́ maris.
Mira loci facies pelago pulſatur aperto,
Inq́ omnes uentos littora nuda patent.
Nonnullus regitur per brachia tuta receſſus,
Aeolias poſſit qui prohibere minas.

Sed procera ſuo prætexitur alga profundo
Molliter offenſæ non nocitura rati.
Et tamen inſanas cedendo interrigat undas,
Nec ſinit ex alto grande uolumen agi.
Tempora nauigii clarus reparauerat Eurus.
Sed mihi Protadium uiſere cura fuit.
Quem qui forte uelit certis cognoſcere ſignis
Virtutis ſpeciem corde uidente petat.
Nec magis efficiet ſimilem pictura colorem
Quam quæ de meritis miſta figura uenit.
Aſp ciendă procul certo prudentia uultu:
Formaq; iuſtitiæ ſuſpicienda micat.
Sit fortaſſe minus ſi laudet Gallia ciuem,
Teſtis Roma ſui præſulis eſſe poteſt.
Subſtituit patriis mediocres Vmbria ſedes.
Virtus fortunam fecit utraq; parem.
Mens inuicta uiri pro magnis parua tuetur,
Pro paruis animo magna fuere ſuo.
Exiguus regum rectores ceſpes habebat,
Et cincinnatos iugera pauca dabant.
Hæc etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabriciiq; foco.
Puppibus ergo meis fida in ſtatione locatis.
Ipſe uehor Piſas qua ſolet ire pedes.
Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus et ipſe mihi.

Officiis regerem cum regia tecta magister:
Armigerasq; Pii principis excubias
Alpheæ ueterem contemplor originis urbem
Quam cingunt geminis Arnus et Au sur aquis.
Conum Pyramidis coeuntia flumina ducunt.
Intratur modico frons patefacta solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.
Ante diu q̃ troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret
Elide deductas suscepit Etruria Pisas
Nominis indicio testificata genus.
Nanq; pater quondam tyrrhenis præfuit aruis,
Fascibus et senis credita iura dedit.
Narrabat memini multos emensus honores
Tuscorum regimen plus placuisse sibi.
Nam neq; opum curam q̃uis sit magna sacrarum,
Necius quæsturæ grata fuisse magis.
Ipsam si fas est postponere præfecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor:
Nec fallebatur tam carus et ipse probatis
Aeternas grates mutua cura canit:
Constantemq; sibi pariter mitemq; fuisse
Insinuant natis qui meminere senes.
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent et duplici sedulitate fouent.

Hæc eadem cum Flamminiæ regionibus irem
 Splendoris patrii ſæpe reperta fides.
Famam Lachanii ueneratur nominis inſtar
 Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet prouincia mores,
 Dignaq; rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
 Per Corythi populos arua beata regit.
Nec mirum magni ſi redditus indole nati
 Felix tam ſimili poſteritate pater.
Hu[illegible]s uulnificis ſatyra ludente camœnis
 Nec Turnus potior, nec Iuuenalis erit.
Inſtituit ueterem cenſoria lima pudorem:
 Dumq; malos carpit, præcipit eſſe bonos.
Non olim ſacri iuſtiſſimus arbiter auri
 Circunſiſtentes reppulit, Harpyias.
Harpyias quarum decerpitur unguibus orbis,
 Quæ pede glutineo quod tetigere trahunt.
Quæ luſcum faciunt Argum, quæ lyncea cæcum
 Inter cuſtodes publica furta uolant.
Sed non Lucillum Briareia præda fefellit,
 Totq; ſimul manibus reſtitit una manus.
Iamq; Trituritam Piſæa ex urbe reuerſus
 Aptabam nitido pendula uela noto,
Cum ſubitis tectus nimbis inſorduit æther.
 Sparſerunt radios nubila rupta uagos.

Substitimus. Quis enim sub tempestate maligna
Insanituris audeat ire fretis?
Otia uicinis terimus, naualia siluis,
Sectandisq; iuuat membra mouere feris.
Instrumenta parat uenandi uillicus hospes,
Atq; olidum doctas nosse cubile canes.
Funditur insidiis: et rara fraude plagarum,
Terribilisq; cadit fulmine dentis aper.
Quem meleagræi uereantur adire lacerti,
Qui laxet nodos Amphitryoniadæ.
Tum responsuros persultat bucina colles
Fit q; reportanda carmine præda leuis.
Interea madidis non desinit Africus alis
Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occasibus Vdæ
Iam latet hyberno conditus hymbre lepus.
Exiguum radiis sed magnis fluctibus astrum
Quo madidam nullus nauita linquit humum.
Nanque procelloso subiungitur Oarioni,
Aestiferumq; canem roscida præda fugit.
Vidimus excitis pontum flauescere arenis
Atq; eructato uortice rura tegi.
Qualiter oceanus mediis infunditur agris
Destituenda uago cum premit arua salo.
Siue alio refluus nostro colliditur orbe
Siue corusca suis sidera pascit aquis.

FINIS ITINERARII PRIMI.

RVTILII CLAVDII NVMATIANI DE REDITV SVO, ITINERARII LIBER SECVNDVS.

n Ondum longus erat, nec multa uolumina passus
Iure suo poterat longior esse liber.
Tædia continuo timuit cessura labori,
Sumere ne lector iuge paueret opus.
Sæpe cibis affert serus fastidia finis.
Gratior est modicis haustibus unda siti.
Interualla uiæ fessis præstare uidetur
Qui notat inscriptus milia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
Quem satius fuerat sustinuisse semel.
Tandem nimbosa maris obsidione solutis
Pisano portu contigit alta sequi.
Adridet placidum radiis crispantibus æquor,
Et sulcata leui murmurat unda sono.
Incipiunt Appenini deuexa uideri,
Qua fremit aerio monte repulsa thetis.
Italiam rerum dominam qui cingere uisu
Et totam pariter cernere mente uelit
Inueniet quernæ similem procedere frondi
Artatam laterum conueniente sinu.
Milia per longum decies centena teruntur
Aligurum terris ad freta Sicaniæ

In latum uariis damnosa anfractibus intrat
    Tyrrheni rabies, Adriacique salis.
Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus
    Triginta et centum milia sola patet.
Diuersas medius mons obliquatur in undas
    Qua fert atque refert Phœbus uterque diem.
Vrget Dalmaticos eoo uertice fluctus,
    Cærulaque occiduis frangit Etrusca iugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
    Consiliumque dei machina tanta fuit.
Excubiis latiis prætexuit Appeninum:
    Claustraque montanis uix adeunda uiis.
Inuidiam timuit natura, parumque putauit
    Arctois alpes opposuisse minis,
Sicut uallauit multis uitalia membris,
    Nec semel inclusit quæ pretiosa tulit,
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
    Sollicitosque habuit Roma futura deos.
Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum
    Proditor arcani quod fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes
    Crudelis summis miscuit ima furor.
Dumque timet quidquid se fecerat ipse timeri
    Immisit latiæ barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem
    Illatæ cladis liberiore dolo.

Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiua prius quam caperetur erat.
Nec tantum Geticis craſſatus proditor armis,
Ante ſibyllinæ fata cremauit opis.
Odimus Althæam conſumpti funere torris.
Niſæum crinem flere putantur aues.
At Stilico æterni fatalia pignora regni,
Et plenas uoluit præcipitare colos.
Omnia tartarei ceſſent tormenta Neronis,
Conſumat ſtygias triſtior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille.
Hic mundi matrem perculit, ille ſuam.
Sed diuerticulo fuimus fortaſſe loquaces
Carmine propoſito iam repetamus iter.
Aduehimur celeri candentia mœnia lapſu
Nominis eſt auctor ſole coruſca ſoror.
Indigenis ſuperat ridentia lilia ſaxis;
Et læui radiat picta nitore ſilex.
Diues marmoribus tellus, quæ luce coloris
Prouocat intactas luxurioſa niues.

FINIS SECVNDI.

Ad Sanctiss. Leonem Pontif. X.
Pius faciebat.

Ex græco. Lucilli.

u Eloces egi currus infaustus Aganax:
Vitæ inuitalis functus honore fui,
Nec spatio tenui multo. sed calce replaudens
Tellurem, in campos appropero Elysios.

Non tristandũ si quis procul patria obeat.
Incertum. Ex græco.

Inferni introitus rectus qui pergis Athenis
In stygã, et a nigra siue uenis meroe.
Nec procul a patria tristeris amice peremptum,
Omnia ad Elysios undiq; uentus agit.

Gulam mortem accelerare. Palladæ.

Non peragit tantum mortem natura. sed ipsam
Ingluuies rapido cogit adire pede.
Huius regnator Dionysius Heracleæ
In ponto testis, talia passus obit.

Alter alterũ uicissim trudit in mortem.
Incertum. Ex Græco.

Intereo. sed te moror. at tu aliena moraris
Fata. omnes pariter styx uiolenta capit.

Epitaphium Inachi terræ maternam
Pietatem laudantis. Incertum.
Ex græco.

Terra mihi genetrix, Mea tellus occulit ossa
Officium haud matris inferioris agens.
Illa pia diuturna parens me uinciet ulna.
Sed propria rapuit me genetrice calor.
Hospes in hoc portu iaceo post flebile fatum
Inachus heu fidi Crinagoræ famulus.

Antiphili græci poetæ in Aridum
Fontem.

Quo fuga fontis aquæ? Quo garrula nympha recedit?
Quo radius iuges solstitialis agit?
Agricolam flentes lachrymis rorantibus omnes
Absumptæ, illius Arida puluis habet.

De oraculis Tauri memphitici,
Incertum. ex græco.

In memphi sermo est Tauro didicisse nitenti
Eudoxum propriam per sacra oracula mortem.
Iunici humanam linguam natura negauit,
Vocalesq; sonos. sed stans diuinitus ore
Linxit adorato chlamydem. sunt certa secuta
Signa necis. subito passu mors atra cucurrit
Huic soles denos, quinos, ternosq; uidenti.

Incertum.ex græco.

Balnea, uina, Venus, choreæ: conuiuia, ludus
Hæc ſubitum faciunt ad ſtyga mortis iter.

In deos. Luciani.

Nil age Mortalis cui non modus et decor inſit,
Nec ſuperos lædens poſſe latere puta.

De amoribus Iouis. Incertum.
Ex græco.

Taurus, olor, ſatyrus, pluuium fit Iuppiter aurum,
Ledæ æſtu, Europes, Antiopæ, Danaes.

Antipatri.

Mercurius facilis Paſtores, lacte nitenti
Gaudet, et eſt quernis mitior ille fauis.
Herculeis aries ſanis cum lactibus agni
Procidat. haud ſoli uictima ſola placet.
Sed cohibere lupos ualet. At cuſtodia ſi me
Pauperat, heus hoſtes quos magis eſſe rear?

Mercurius de ſodallitio Herculis
queritur. Leonidæ.

Si cultos hinc ire libet ſpatiator in agros,
Seu celerem excelſa ſiſtis in arce pedem
Hos duo cœlicolas, quis te bene termine credis
Arcada me cernis, Herculis hanc ſtatuam.

Numine propicii semper mortalibus ambo.
Hic mihi libatas Achradas eripuit.
Non mihi lance pari fertur redimita racemis
Vua, graues pariter omphacas iste uorat.
Aequa sodalicii non est mihi grata potestas,
Qui dicat ambobus munera priua dicet.
Herculis hoc dicat, donum est. ast Arcadis illud.
Et litem soluat qui litat ancipitem.

REVERENDISS. CAR. AEGIDIO.

Diua beatifico cum te colat agmine uirtus:
Inuideas nulli fulua metalla Midæ.

In Olympum deformem.

Cum patulo referas rictu Crocodilon Olympe
Garrula sic fontis cur tibi lympha placet?
Effuge Narcisi fatis contraria fata,
Ne propriam exosus hic pereas, faciem.

FINIS.

Bononiæ in ædibus Hieronymi de Benedictis bonon.
Anno Domini.M.D.XX.

Errata.

Car.vii.linea.xxiii.diadema a cono.lege.diademata.
Eadem car.lin.xxiiii.umbro uomat.lege.umbo.
Eadem carta a tergo li.xviii.astra ferret.lege.feret.

M.L

